

- Quod si postponis, soli tibi damna parabis :  
 In grege muscarum noscas spelaea ferarum,  
 Quae te dilanient et toto corpore scindent:  
 Nam stimuli vespae sunt vires mortis acerbae.
- 245 Binos crabrones ambos cognosce parentes,  
 Qui natum deflent, fauces tibi stipite figent.  
 In jubilo vulpis proprii cape signa moeroris.  
 Infelix vitulus non grata compede victus  
 Exiet ad campum, bellum cum venerit ortum.
- 250 Quid dabis ergo bonis? sic stat sententia somni.  
 lupus.  
 'Heu mihi! quid faciam, vel qualia verba retexam?  
 Quae bona distribuam? quae mundiburdia quaeram?  
 Poscis pro vitulo, minitaris pro perituro,  
 Si daret Heinricus nobis percarus amicus
- 255 Sporcos quingentos, vitulos totidem saginatos,  
 Non feret inpune, quod sparsit fragmina coenae,  
 Viniae dulcorem, solitum [mihi] ferre soporem.  
 Cur perit incassum tanto sudore paratum?  
 Quod foris excessit, nobis nullatenus haesit,
- 260 Sed post ingressum sit nobis discutiendum;  
 Instauret quadruplo sumptus stultus mihi simplio.  
 Mane canam psalmos, si tardat sacra sacerdos?  
 Archicapellanus, camerarius et cocus almus,  
 Index consilii, quin iudex illius antri,
- 265 Extitit ericius perplexo vellere sutus,  
 Namque super cunctos nanus fuit iste sacerdos,  
 Indumenta novis texebat plumea telis.  
 lupus ericio.  
 'Post horam sextam capto mox tollito vitam,  
 Quod petiit feci, nam vix promissa replevi.

---

242 spolea A. 251 hei A. 256 fragmine A. 257 liefse  
 sich auch scandieren soli tum erre. 261 stultos A.